

Epistola e et de concilio Pisano scripta.

Haec epistola, exarata in codice, qui fuit quondam Carthusiae (domus Vallis beatae Margaretae) nunc vero est civitatis Basileensis (A. IX. 8 papyr. saec. XV. ineunte scr. fol. 124-125) data esse videtur a quodam, qui fuit provinciae vel etiam dioeceseos Moguntinae ad alium quemdam, quem fuisse in amicorum numero Wernheri archiepiscopi verisimile est.

Sincera recommendatione premissa, honorabilis fautor et domine.

Scire placeat, quod pridie scilicet die Veneris XXVII (1) mensis huiusmodi domini Ebirhardus Schenk de Erpach (2) et Theodoricus de Lapide ac ego cum familiaribus nostris et rebus salvi et sani, ymmo cum salvo conductu domini ducis Austrie etc. Pisas intravimus. Verum ibidem magnum, ymmo pulcherrimum prelatorum ac diversorum principum ambasiatorum et curialium numerum reperimus. Verum huiusmodi rei solennitatem videntes, similiter pro nobis statim honestam et pulchram mansionem reperimus, huius rei exitum et optatum finem domino dante in brevi visuri. Verum etenim, honorabilis amice, particularius descendendo sciatis (3), quod die Lune XIII (4) huius mensis cardinales cum prelatis, quorum ut fertur et certe in numero CXX mitrati et multi alii in ecclesia Pisana presidebant, solemniter et devote ad sanctam sinodum prosequendum in concilio existentibus et, ut premittitur, presidentibus supervenerunt ambasiatores domini nostri Romanorum regis, dicentes certa dubia proponere velle in concilio huiusmodi, audienciam postulantes. Qua quidem audiencia benigne concessa, tandem dominus Ulricus episcopus Verdensis cathedram ascendens nonnulla dubia proposuit, salva

(1) recte: XXVI.

(2) canonicus et camerarius Moguntinus.

(3) scientes cod.

(4) recte: XV.

protestatione previa quod ea, que dicturus esset, non suo nomine, etc.

Ut satis verum, etiam huiusmodi dubia vobis imposterum describenda apud intelligentes satis reputantur exilia; quorum aliqua convocationem huiusmodi concilii, alia vero ipsius domini nostri regis facta concernere dicuntur. Et absit, ne idem dominus noster rex per suos bona fide in preiudicium honoris et status sui ducatur ad errorem etc. Verum pro parte dicti concilii ipsi ambasiatores requisiti fuerunt, ut in scriptis traderent dubia predicta; extunc eisdem in scriptis respondere vellent. Id tamen dicti ambasiatores, ut dicitur facere recusarunt; nihilominus tamen, sicuti verbo proposuerunt, ita verbis diversorum prelatorum, doctorum etc. Tunc rex post publice, solenniter et demonstranter ad oculum quasi respondens excitatur. Verum eisdem ambasiatoribus terminus peremptorius prefixus fuit, infra quem, si dicta dubia in scriptis darent, ipsis responderi deberet. Et ecce, iidem ambasiatores, videntes in eorum proposito proficere non posse, post paucos dies non absque melancoliis et angustiiis, ne dicam: verecundia, recesserunt ab aula, dimittentes tamen quamdam ap-
positionem in valvis ecclesie predictae, in qua appellant ad deum et papam et a concilio predicto. Et ecce appellatio huiusmodi videntibus cadit in derisum, cum implicet, nec ex causis evidentibus fundata existit, et breviter ac summarie fertur, quod huiusmodi ambasiatores dominum nostrum predictum excusando accusent, cum ipsorum facta et dicta modicum sancte ecclesie Romanae statum et utilitatem concernant, sed in tantum quod domini de collegio eosdem nomine quo supra certificare debeant, quod eundem dominum nostrum regem imperatorem facere et reputare teneantur. Nescio, si fiat rebus ut sic stantibus.

Item dominus Karulus de Malatestis, similiter videns cum eisdem ambasiatoribus in dicto concilio de loci mutatione nil proficere posse, similiter quasi desperatus recessit cum eisdem, nichilominus se et statum suum dominis de collegio humiliter recommendando. A predicta siquidem die Lune huiusmodi concilium prorogatum fuit usque [ad] XXV (1) mensis antedicti,

(1) recte: XXIV.

et hoc propter multorum affuturorum prelatorum absenciam, quorum nunc de Francia admodum XX episcopi et diversi dominorum nuncii advenerunt (1). Item ambasiatores domini nostri Moguntini et capituli etc. paucio ante nos applicuerunt. Item dominus de Lyningen (2) et alii ambasiatores domini nostri Coloniensis propter sinistrum eventum vobis per alias eorundem litteras et famam notificandum heri primo venerunt. Non enim delector in huiusmodi causa adversa multum ampliare. Verum invasores sustinuerunt et sustinebunt penam condignam. Item hodie dominus Sarisburiensis episcopus, olim Eboracensis, de Anglia ex parte dominorum regis et cleri Anglie cum C. equitibus applicuit (3), post quem quidam alter de Anglia venturus dicitur cum CC. equis. Item venit camerarius domini Benedicti. Item duo cardinales noviter recesserunt ab eodem domino Benedicto, petentes nunc a dominis de collegio veniam, ne procedatur contra eos et venient hoc sero. Item quasi singuli de Areminnio recesserunt timentes et fugientes.

Item rex Neapolitanus cum XII equestrium et totidem pedestrium obsedit civitatem Senarum, nitens, ut dicitur, hoc sacrum concilium impedire. Veruntamen propter Florentinos et Bononienses etc. eisdem Senensibus confederatos suum propositum, ut speratur, nequeat. Dolose ad eosdem Florentinos misit ambasiatores, requirens eosdem, aut expellant dominos cardinales de civitate Pisana aut permittant, quod contra eos venire possit absque Florentinorum preiudicio (4). Sed frustra laborat. Vellet etiam specialiter, ut dicitur, ire contra dominum cardinalem Bononiensem (5). Sed breviter responsum habuit, quod ea, que Florentini dominis de collegio et specialiter domino Bononiensi Senensibusque promiserint, pro posse servare nitantur. Et revera Florentini cottidie maximas advenientibus stipendiariis solvunt

(1) advenerant cod.

(2) Conf. MANSI, *Conciliarum Collectio* XXVII, 350, ubi eiusdem adventus et nomen perperam notantur.

(3) Conf. MANSI, l. c. 348-350.

(4) preiudicium cod.

(5) i. e. Balthassar Cossa.

pecunias; ymmo significarunt dominis de collegio, ne timeant, ymmo deliberate facta sua faciant.

Item adveniente dicto termino, scilicet die Mercurii XXV (1) huius mensis, dictis dominis cardinalibus cum prelatiis ut supra in multo, iam (2) in maiori numero in concilio presidentibus, videlicet post divinum officium, fuit accusata contumacia contendencium de papatu, erantque preconia voce vocati et per IIII cardinales cum multis notariis ad hoc requisitis quesiti, et tandem eisdem contententibus non inventis nec per se vel per alios comparentibus, tandem in contumaciam contra eosdem oblatus est libellus continens omnia gesta et facta a tempore cepti scismatis, citra quomodo scisma incepit et qualia per quemlibet contendencium medio tempore facta sint, et petitur super quolibet puncto, ut sacrum concilium deliberet etc. Huiusmodi libellus revera bene formatus continet mirabilia hucusque occulta. Idem etiam libellus articulatus existens continet forsitan XX folia; nihilominus totum et coram omni populo lectus fuit (3). Idipsum etiam libellum pro... offert se probaturum per testes et publica documenta. Et ecce dicto libello sic lecto, concilium statuit alium terminum, videlicet ad diem Martis crastinam (4). Cras enim, ut dicitur, debent testes recipi super contentis; item responderi debet punctis et dubiis motis per ambasiatores domini nostri regis, scilicet utrum cardinales possint indicere seu facere concilium generale etc.

Ecce hec sunt occurrentia usque ad diem presentem succincte vobis descripta. Certus enim sum, si solennitatem huius rei sentiretis ad plenum, fervidum optati finis zelatorem vos sciam; fervidiorem tamen vos presertim alios inducendo exhiberetis indubie, prout facietis domino cooperante et maxime apud dominum nostrum Treverensem... expedis etc.

Datum in Pisis XXX (5) die Aprilis.

H. V. SAUERLAND.

(1) recte: XXIV.

(2) tam cod.

(3) Invenitur typis excussus in Raynaldi annal. eccl. ad a. 1409, §§ 47-70.

(4) i. e. XXX Aprilis.

(5) corrigendum videtur: XXIX.